

* Ad vocem hanc addidit deinde: *Rector scilicet primum Regiomontanus,* (novæ Marchiæ ad Wartam oppidum est) *post Ecclesiæ Treptoviensis, ac inde Bernaviane, nunc Berlinensis Præpositus.* Berolinum venerat ad Provinciam Præpositi adeundam anno clō lōc LXVII. die VII. Julii. Qua cum se abdicasset sua sponte ad diem XI. Februarii anno clō lōc LXXXV. mortuus est die XXVI. Octobris anno clō lōc XCIV. Stetini Pomeranorum.

Sed jam de *studiorum ejus rationibus* dicendum est. Cum esset ingenio vegeto, atque multarum rerum avido: ad linguarum tamen exquirendas causas a natura quasi factus erat. Tantoque in easdem ferebatur ardore: ut plerasque (callebat enim complures) didicisse se nullius ope magistri, sua fultum industria affirmaret; iisque, quæ hinc existunt, voluptatibus sæpe reliqua omnia posthaberet. Itaque etiam cum viri in literatura Orientali celeberrimi, *Brianus Waltonus & Edmundus Castellus,* tum maxime in edendo Opere Biblico atque Lexico Polyglotto occupati, cognovissent inusitatum ejus in has literas amorem; rogassentq; per literas a *Mullero,* an ipse quoq; in ea re adjuvare se vellet: non dubitavit, relictis omnibus, eodem statim proficisci; cum quidem tum præfesset Treptoviensi in Pomeranis Ecclesiæ. Ex eo tempore in domo *Castelli* vixit, quod in *Prefatione Disquisitionis suæ de CHATAÏA* ad eundem ipse commemorat, *annos decem.* Nec mirum adeo, quum ad ingenii illam aviditatem tam benigna se obtulisset occasio: si tanto plus in eo genere literarum profecit; quanto plus temporis, quanto plus laboris in iisdem consumpsit, quam reliqui. Imprimis erat sollicitus, ne quid forte ipsi, quod vel audierat, vel legerat, periret. Itaque ne quando falleretur a memoria: non solum quæ in libris quibusque bona animadverterat, in indices suos, incredibili labore, retulerat omnia; sed etiam, quæ in literis amicorum. Quin etiam solebat quidquid ageres cum ipso, quidquid loquerere, sive illud esset de studiis communibus, sive de re quavis alia: statim calamo excipere, atque in usum futurum notare. In quibuscunque etiam laborandum sibi esse statuerat: in his tanta utebatur diligentia, tanta animi attentione; ut re nulla ab inceptis dimoveri se pateretur. Ita quum Londini esset tum, quum CAROLUS II. cum fratre JACOBO, in regnum avitum revocati ab exilio, ingrederentur urbem; atque ipse proxime ad viam habitaret, qua ascendebat in arcem rex: nec spectaculi voluptate avocari potuit, nec transeuntis pompæ strepitu, plaudentisque multitudinis vocibus turbari; quo minus perageret, quæ ceperat. Atque hæc mihi sæpe, admi-

mi-